



einzelne vertheilt A. III. 1915.

Biblioth. theol. Univ. BB

Einzelnen de iij.

~~S. III. 10.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-16.
SIGNAT. c1515CCCXIII.

יְיָ מִיֵּעַקֵּב
i. e.

STELLA

EX JACOB.

QVAM
DISSERTATIONE PHILOLOGICA

EX NUMERORUM XXIV. v. 15, 16, 17, 18, & 19.

Prælucente Stellâ splendidâ & matutinâ
JESU CHRISTO

PRO LOCO

In Amplissima Facultate Philosophica

Wittebergensi perbenevole sibi concesso
ostendit placidoq; Eruditorum Examini sistit

PRÆSES

M. DANIEL VENTZCKIUS,

Falcoburgô Neo-Marchicus, Alumn. Elect. Saxon.
RESPONDENTE

JOHANNE SIGISM. FÖRSTELIO.

Wilschdorffensi Misnicô.

Ad diem 1. Martii Anni M. DC. XCIV.

IN AUDITORIO MAJORI. Horis antemeridianis consuetis.

WITTENBERGÆ, prælo JO. WILCKII, Acad. Typogr.



INCLYTI SENATUS ECCLESIASTICI
ELECTOR. SAXONIÆ
PRÆSIDI.
ILLUSTRI AC EXCELLENTISSIMO

Ut Et
CONSILIARIIS SPLENDIDISSIMIS
VIRIS Magnificis, Reverendiss. Nobilissimis,
& Consultissimis,

DOMINO MEO
GRATIOSISSIMO

Et
PATRONIS OPTIMIS MAXIMIS

OBSEQVIA ET PROSPERA OMNIA!

JOVA JUVVA!
PROOEMIUM.

STELLA procul dubio est, diei festo nostro Christiano, (haud ita pridem praterlapsò qui meritò noster, antea Ethnicorum, salutarur NOVUS ANNUS) qua nomen dedit EPIPHANIAS. Id enim haud obscure ostendit, ipsa propria vocis Epiphantias, significatio, quippe qua tanquam derivata à verbo Ἐπιφάνεια, si latine exprimi debeat, proprie in Sacris literis (vid. Balduin. in Epist. Paulinas p. m. 1493. a. F. & confer. Actor. 27. v. 20. Luc. 1. v. 79.) denotat apparitionem & alem, qualis est luminarium caelestium sive stellarum, illuminantium, non diem, sed noctem, sive tenebras. Causam impositionis hujus nominis scire cupis? In promptu est totius Ecclesie Christiana responsio: Quia eòdem hoc ipsò die, olim, populo, qui quondam fuit senebra Eph. 5. v. 8. ambulavit in tenebris Esa. 9. v. 1. & opertus fuit tenebris Esa. 60. v. 2. primà vice apparuit Stella, STELLA SPIRITUALIS, STELLA EX JACOB, REX MESSIAS. Rex Messias inquam, qui, quod hoc ipsò nomine intelligendus veniat, non unò in locò (confer: infra Qv. 2. Sect. 2. Problematicæ.) aperte satis testatur, testis omni exceptione major, Scriptura Sacra. In qua quidem Scripturâ S. in primis hanc in rem notatu dignissimus est Locus Num: XXIV. v. 15, 16, 17, 18, & 19. DE STELLA ORITURA EX JACOB. Locus, qui non tantum magnò consensu totius Ecclesie Christiana orthodoxa, sed & adeò ipsorum nonnullorum Judaeorum de Rege Messia, intellectus fuit atq; explicatus. Quod posterius ut probatum dem, saltem brevibus hic adduco, quod prolixius in Synagoga Judaica Buxtorfii c. 36. p. m. 645. seq. legi potest, quomodo nim. tempore Adriani Imperatoris 52dò post excidium Hierosolymitanum annò, Judaeum quendam nequam, BAR COCHABH i. e. filium Stelle se vocitantem, & modò citatum Numerorum locum, de se vaticinatum esse falsò gloriantem, Messiam agnoscere voluerint, satis hoc ipsò testantes oportere hunc ipsum locum de Rege Messia dictum esse. In quò quidem etiam non errarunt, errarunt tamen turpissimè, quantum ad individuum, cui hoc vaticinium applicare voluerunt, suum scil: BAR COCHABH, quem non veram ex Jacob orituram promissam Stellam illuminantem, sed potius ignem fatuum, & BAR COZABH i. e. filium mendacis decipientem, fuisse, magnò suò cum pudore ac damnò, (postquam locò liberationis 400. millibus Judaeorum internecionem acceleraverat miseriam.)

mam) demum ipsi fateri coacti fuerunt. Et hoc non, nisi in pœnam justis-
simam, spreto à se, qua jam antea apparuerat, VERÆ STELLÆ EX
JACOB (uti nos piè, firmissimis nixi & testimoniis & rationibus, credim⁹)
JESU NAZARENŌ, Servatore nostro meritissimo; Quem quidem Je-
sum Nazarenum, ipsi adhucdum occœcati, & in quorum incredulis cordibus
atq; oculis non reiectum jacet & manet velamen Mosis, tanquam veram
Stellam ex Jacob agnoscere nec volunt nec valent, interim tamen, vel in-
viti insciari non audentes, tempus quò apparere debuerit hac stella, dudum
præter lapsum esse, nec ostendere se posse quenquam cui hæc tunc vaticinium
hocce ex asse applicari potuerit. Quamquam ut agrè faciant nobis, de JESU
NAZARENŌ, uti dictum, constanter id dictum explicantibus, mirè se
torqueant, elabendi ut inveniant rimas, probentq; (attamen contra pro-
priorum domesticorum fidei testimonium & conscientiam) non de Mes-
sa, sed de aliò aliquò citatò locò, locutum esse Prophetam, vel si deniq; de
Messiâ hac dixisset, non tñ. ea omnia in nostro Messiâ impleta esse. Quibus
quod mireris, hæc in parte accedunt etiam nonnulli, qui tamen Christiani
esse & videri volūt. Quorū trica, ne forsitan improvidos, imprudentesq; nos
implicent capiantq;, operam dubiò procul non perdemus, si occasione istius,
quæ Magis apparuit (hòc ipsò die festò) STELLÆ, (quæ dubiò procul
Spiritus S. ipsoq; præeunte Ecclesia Christiana, hocce tempore vaticinium
de stella ex Jacob l. c. promissâ, in mentem nobis revocare voluerunt,)
ad eò ubero rem veritatis vindicationē disquiramus: Quænam sit ista, l. c.
promissa vera STELLA EX JACOB? id quod adjuvante Deo, mediante
hæc ipsâ Dissertat: unculâ, quam inscripsimus: STELLA EX JACOB fa-
cere constituimus, & quidem Sectionibus duabus, quarum I. EXEGETICA,
post textûs sacri, ejusdemq; versionum præcipuarum adductionem, eruens
verum & genuinum verborum sensum, hoc ipsò, Eandem non alium quam
JESUM nostrum & esse, & esse posse demonstrabit. II. PROBLE-
MATICA, afferens quæstiones, de hoc locò moveri solitas scitûq; maxime
necessarias, examinansq;. Adversariorum sententias contrarias, modò di-
ctam nostram sententiam, quanta quidem dexteritate fieri poterit, confir-
mabit. Ipse autem Pater luminum, ipsa Stella splendida & matutina JE-
SUS CHRISTUS (in cujus honorem hæc unicè meditati sumus) ipseq; il-
luminans, omniaq; docens Spiritus S., lucere & in hoc negotiò su-
per nos faciat faciem suam, & sic quoq; in eò in omni veritate servabimur.
Fiat, per & propter JESUM CHRISTUM, Dominum ac Servatorum no-
strum Amen!

Sit

Sit itaq; in nomine Domini

SECTIO I. EXEGETICA. ejusq;

PARS I. Textum Sacrum cum Versionibus praecipuis adducens.

Textus Sacer ex Num. XXIV. v. 15, 16, 17, 18. & 19. hic est:

v. 15. נאם בלעם בנו בעור ונעם הגבר שהם העין:
v. 16. נאם שמע אמריאל וירע דעת עליון מחזה שדי יחזה
נפל וגלוי עינים. v. 17. אראנו ולא עתה אשורנו ולא קרוב דרך
כוכב מיעקב וקם שבט מישראל ומחץ פאתו מואב וקרקר
כל בני-שת: v. 18. והיה ארום ירשה והיה ירשה שעיר איביו
וישראל עשה חיל: v. 19. וירד מיעקב והאכיר שריר מעיר:

Targum Jonathanis Ben Uzielis.

אימר בלעם בר בעור ואימר גברא דיקר מן אבוי דרזיא סתומיא
מה דאתבסי מן נביא הוה מתגלו ליה: נאם אימר דשמע מימר
מן קדם אלהא וירע שעתא דרתח ביה אלהא עלאה דחיוו מן
קדם שדי וכד הוה בעי דיתגלו ליה הוה משתטח ונפול על
אפוי ורזיא סתומיא מה דאתבסי מן נביא הוה מתגלו ליה: אראנו
חמי אנא ליה וליתיה כרון מסתפל אנא ביה וליתיה מקרוב בר
ימלוך מלוך תקיף מדבית יעקב ויתרבו משיחא ושיבט תקיף
מישראל ויקטול רברבני מואבאי וירוקן כל בני רשת משוריתיה
דגוג דעתידין למסדרא סדרי קרבא בוישראל ויפלין פגריהון
בלהון קדמוי: והוה ארום ויהוון ארומאי תריבין ויהון תריבין
בני דגבלא מן קדם ישראל סנאיהון ווישראל יתקפין בנכסין
וירתונון: וירד ויקום שליט מדבית יעקב ויכיר וישצי שזכותא
דמשתיר מן קושטוינטיני קרתא חויבתא ויצדי ויחרוב פרבא
מרודא וקיסרין תקיף קרזי עממיא:

Hoc est:

v. 15. Dicit Bileam filius Beor, & dicit vir, qui honorabilior est Patre suo, cui secreta occulta, id quod scilicet: rectum est à Propheta revelatum est.
v. 16. Dicit ille, qui audiuit verbum à facie Dei, & qui novit horam quâ iras-

ENS



sus foret Deus excelsus in eum: qui visionem à facie omnipotentis vidit, & quando volebat, ut revelaretur sibi, extendebat se & cadebat super facies suas, & secreta occulta, id quod totum erat à Propheta, revelabatur ipsi. v.17. Video ego ipsum & non ipse nunc, contemplor ego ipsum, sed non est appropinquans, cum regnabit Rex fortis ex domo Jacob, & ungetur Christus, & sceptrum forte ex Israel, & interficiet Principes Moab, & evacua-bit omnes filios Seth, exercitus Gog, qui instructuri sunt acies belli contra Israëlem, & cadent cadavera omnia ipsorum à facie ejus. v.18. Et erunt Idumai expulsi, expellentur quoque filii Gebal, à facie Israel hostium suorum: Et Israël superabunt divitiis, & haereditario possidebunt eos. v.19. Et surget Princeps è domo Jacob, & perdet & consumet evasione, quae relicta fuerit ex Constantina civitate peccatrice, & desolabit & devastabit civi-tatem rebellem, & caesarem fortissimam civitatum populorum.

Targum Onkelos.

*אִמַּר בְּלָעַם בְּרִיָּה בְּעוֹר וְאָמַר גְּבֵרָא דְשִׁפּוֹר חַיִּו: אִמַּר דְּשִׁמְעַ
 מִיִּמַר מִן קָדָם-אַל וְיִדַע מִדַּע מִן קָדָם עֲלָאָה חַיִּו מִן קָדָם-שְׂדֵי
 חַיִּו שְׂכִיב וּמִתְּגַלִּי לֵיהּ: חַיִּוּתוּהּ וְלֹא כַעַן סְכִיתָהּ וְלֹא אִתְּהוּ-
 קָרִיב בְּרִי-יָקוּם מִלְּפָנַי מִיַּעֲקֹב וְיִתְרַבָּא מִשִּׁיחָא מִיִּשְׂרָאֵל וְיִקְטוּל
 דְּבָרְבוּ מוֹאָב וְיִשְׁלוּט בְּכָל בְּנֵי אֲנָשָׁא: וְיִהִי אֲדוּם יִרְחַא
 וְיִהִי יִרְתָּ שְׁעִיר לְבַעְלֵי דְבְּכוֹהֵי וְיִשְׂרָאֵל יַעֲלַח בְּנִכְסֵי
 וְיִחֹת חַר סְרִבִּית יַעֲקֹב וְיִזְכַּר מְשִׁיבֵי סְקִרִּית עַמְמֵיָא:*

Id est:

*v.15. Dicit Balaam filius Beor, & dicit vir qui pulchrè videt. v.16. Di-
 cit ille qui audit verbum à facie Dei, & sciens scientiam à conspectu excel-
 si: qui videt visionem à facie omnipotentis, qui cadit & revelatur ei.*

*v.17. Video eum & non modò; intur or eum, sed non est propè: Cum con-
 surget Rex de domo Jacob, & ungetur Christus de domo Israel, & occidet
 Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum. v.18. Et
 erit Idumæa hæreditas, & erit Seir hæreditas inimicis suis: Israël autem
 prosperabitur in substantia: v.19. Et descendet unus de domo Jacob, &
 perdet eum qui evaserit de civitate populorum.*

*Versio Saadia Arabica ex Bibliis polyglottis Anglicanis
 latinè reddita:*

*v. 15. Dic o Balaam fili Beor, & dic o vir acuti obtutus. v.16. Dic
 o Au-*



δ Auditor sermonum Potentis, & sciens scientiam Altissimi, & videns vi-
siones Satisfactoris, qui dormiens est & habet oculum apertum. v.17. Vi-
deo rem & non est existens modo; & aspicio illam & non est propinqua;
Nam emittetur stella de stirpe Jacob, surgetq; virga de progenie Israel, &
debilitabit regiones Moab, & concutiet omnes filios Seth. v.18. Et erit
Adum consumptus, & eodem modo Seir, omnesq; inimici ejus: Israel vero
crescet in robore. v.19. Et qui dominabitur de Stirpe Jacob, perdet pro-
fugam e civitatibus.

LXX *Vitalis*:

v.15. Φησὶ Βαλαὰμ υἱὸς Βεωρ, Φησὶν ὁ ἄνθρωπος
ὁ ἀληθινῶς ὄρων. v.16. Ἀκούων λόγια θεῶ, ἐπισά-
μεν & ἐπισήμην παρὰ ὑψίστη, καὶ ὄρασιν θεῶ ἰδῶν, ἐν
ὑπνῷ, ἀποκεκαλυμμένοι οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτῶ.
v.17. Δείξω αὐτῷ, καὶ ἔχι νῦν μακαρίζω, καὶ ἐκ ἐγγί-
ζει. Ανατελεῖ ἄστρον ἐξ Ἰακώβ, ἀναστήσεται ἄνθρω-
πος ἐξ Ἰσραήλ: καὶ θραύσει τὰς Ἀρχηγὰς Μωάβ,
καὶ προνομήσει πάντας υἱὸς Σήθ. v.18. Καὶ ἔσται
Ἐδὼμ κληρονομία, καὶ ἔσται κληρονομία Ἡσαὺ ὁ ἐχ-
θρὸς αὐτῶ. καὶ Ἰσραήλ ἐποίησεν ἐν ἰσχυρί. v.19. Καὶ
ἐξεγερθήσεται ἐξ Ἰακώβ καὶ ἀπολεῖ σωζόμενον
ἐκ πόλεως.

Latina Vulgata:

v.15. Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cujus obturatus
est oculus. v.16. Dixit auditor sermonum Dei, qui novit doctri-
nam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertus
habet oculos. v.17. Videbo enim, sed non modo, intuebor illum, sed
non propè. Orietur stella ex Jacob, & consurget virga de Israël:
Et pereutiet Duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth. v.18. Et erit
Idumaea possessio ejus: Hæreditas Seir cedit inimicis suis: Israel ve-
rò fortiter aget. v.19. De Jacob erit qui dominetur, & perdet
reliquias civitatis.

Germanica Lutheri:

v. 15. Es sagt Bileam der Sohn Beor; v. 16. Es sagt der Mann/ dem die Augen geöffnet sind/ es sagt der Hörer göttlicher Rede/ und der die Erkänntiß hat des Höchsten/ der die Offenbarungen des Allmächtigen siehet/ und dem die Augen geöffnet werden/ wenn er niederkniet. v. 17. Ich werde ihn sehen/ aber ietzt nicht. Ich werde ihn schauen/ aber nicht von nahe/ es wird ein Stern aus Jacob auffgehen/ und ein Scepter aus Israel auffkommen/ und wird zuschmettern die Fürsten der Moabiter/ und verstoren alle Kinder Seth. v. 18. Edom wird er einnehmen / und Seir wird seinen Feinden unterworffen seyn/ Israel aber wird Sieg haben. v. 19. Aus Jacob wird der Herrscher kommen / und umbbringen was übrig ist von den Städten.

Sequitur hujus Sectionis PARS II. verum ac genuinum verborum textus sensum eruens.

v. 15. **וַיֹּאמֶר בִּלְעָם בֶּן־בְּעוֹר** Dicit, (dixit, vel dictum) Bileam] quocunq; modo, sive per verbum, sive per nomen, & si per verbum, sive per praesens, sive per Praeteritum, (*more Prophetarum, propter vaticiniorum certitudinem*) reddatur perinde esse dicunt *Buxtorff. in Lexic. Hebr. & Gerhard. in Harm. p. m. 522.* quamvis Balduinus eam magis nominaliter quam verbaliter ab eruditis explicari dicat. *in Commentar. ad Epist. Paulinas p. m. 1507. B.* Ceterum communiter adhibetur in revelatione divinitus facta, ad viros **Ἰσοπρόφῆται**, uti eorum scripta testantur, *dicente Geiero ad Ps. 110. v. 1.* adeoq; ex mente eruditorum tantum Deo & divinitus inspiratis tribuitur, *teste Balduino l. c. Conf. 2. Sam. 23, 1. Prov. 30, 1.* quæ omnia satis ostendunt, eam omnino accipi debere pro sermone certo, fideli, fide & acceptione digno, cum *Dorschæo, Pentad. D. 13. §. 2, 3.* it. pro oraculo, *juxta Tarnovium, eodem Geiero citante. ibid.* Nomen suum Bileam, expresse addit ad imitationem aliorum Prophetarum (quia & ipse in hoc actu verus Propheta Dei erat) & quidem ideò, ut sua prophetiæ constaret veritas, & revelantis videntisq; auctoritas. *juxta Cramerum in Scholâ prophetica. p. 361. & 363.* Porro, quæ de persona Bileami, hujusq; ejus prophetiæ auctoritate adhuc observari merentur fusius dicentur infra *Seç. II. Quest. I.*

בְּעוֹר בֶּן־בְּעוֹר *filius Beor*] (ו) quod ad calcem vocis **בְּעוֹר** hic adjectum videtur, est ך paragogicum, quod nonnunquam nominibus cum Cholem in forma constructa (uti & h. l.) apponitur *vid. Wasmuth. in Hebr. Restit. p. 47.* Quomodo ך in sequente voce **בְּעוֹר** ab initio ad imitationem nonnullarum

rum

rum vocum hichsbeat Dagesch lene, *vid. id. ib. p. 13.* Cæterum num vox
בֵּעַר Bileami patriam, an potius ejus Patrem significet, & si hoc, quid de
dicto Petri. 2. *Petr. 2. v. 15.* qui ejus Patrem Βοσδὲ fuisse dicit, dicendum,
hoc docebit *Seft. II. Quest. I.*

וְנָאם הַבָּרָא & dicit vir (*dictum viri*)] vox בָּרָא ratione etymi
est à בָּרָא prævaluit, validus robustus fuit, sicq; virum validum, viribusq;
pollentem denotat, qvalem & se esse hic Bileam dicit, dubiò procul ut
hæc ipso indicaret, se hanc suam prophetiam pronunciare animo virili
præsentiq;, ne minimum quidem Balaci potentissimi Regis potentiam æ
iram extimescente:

שֵׁתָם הָעֵינַן : *cujus obturatus (apertus) est oculus, (obturati s.
aperti oculi)*] ita enim utroq; modo redditur vox שֵׁתָם, & quidem
priori modo à vulgata, cui ansam suppeditasse omninò haud improbabili-
ter videtur diversa hujus vocis scriptio, quæ si per שֵׁ scribatur significat
obturatus, oclusus, obstructus, si verò per שָׁ, contrarium, nim. apertus,
reclusus, ut docet *Buxtorff. in Lexico Hebr.* posteriori modo vertitur in
aliis versionibus antea à nobis adductis, utra harum versionum accipienda
sit, rectissimè colligetur ex ipso contextu, qui si rite inspiciatur, patebit
Bileamum hic agere Videntem (sive Prophetam) cujus oculis attribuatur
non semel, sed aliquoties in hòc ipsò vaticiniò prædicatum *videre, videre*
autem non solet, imò nec potest is cujus obturatus est oculus. Ne
autem quis obvertat, dici hic in singulari saltem de unò oculo, adeòq; ni-
hil impedire, quò minus unò oculo videre, altero obturatus & obstructus
esse potuerit, observandum statim est, non semel in Scripturâ S. id fieri, ut
illorum membrorum, quorum duo homo habet, unum saltem ponatur,
ita tamen ut alterum non excludatur, sed ambo simul intelligenda sint.
Ita v. gr. *Deut. 19. v. 13.* dicitur: oculus tuus non parceat ei, ubi nemo tam
stolidus est qvè dicere vellet, Mòsi hîc loci sermonè esse de Judice mon-
oculo, simile quid de aliis membris, quorum bina homini data, & uno in
Scripturâ S. positò, simul intelligitur necessariò & alterum vide & qvi-
dem de auribus *Prov. 20. v. 12.* de manibus *Prov. 10. v. 4.* de pedibus *Pf. 121.*
v. 3. ubi vel sana ratio dicitur istis ex locis colligi non posse, quod quia in
singulari saltem membra ista in illis nominentur, ergò etiam saltem unum
illorum, homines istos de quibus sermo est habuisse aut saltem uni eorum,
alterò exclusò, prædicatum quod citatis in locis reperitur tribuendum
esse. Præterea nec intelligi hic potest oculus aliquis Bileami corporeus,
qvippe qvale non permittit objectum, sive res, quam in præsentem vidit ipse
Bileamus

B

Bileamus



Bileamus, quæ hinc non erat externa aliqua species, qualè quidem nonnunquam oculis Prophetarum Deus subicere solebat, hujus enim nulla in textu fit mentio, sed nuda saltem (ut ipse fatetur) scientia, meraq; intelligentia rerum futurarum, quarum visio, non, uti dictum requirit oculum corporis, sed mentis, i.e. mentem à Deo illuminatam, rerumq; divinarum ac sublimium notitiâ supernaturaliter imbutam. De cæterò, num dormienti ipsi revelatio facta sit, & inde clausus oculis dicatur, de eò in sequentibus mox etiam dicetur. Causam, hoc modò formati præfaminis, *Cramerus l.c. p. 363.* hanc esse dicit, quod nim. hòc ipsò excludere voluerit malitiam suam notam, personam suam legitimare & justificare, & officium sibi à Deò commendatum omnibus commendare.

v. 16. **נִשְׁמַע** dixit auditor, s. audiens (dictum auditoris vel audientis)] qui ita audit, ut ea quæ auribus audit, etiam se dimittant ad intellectum, ipseq; etiamnum rectè sibi constet, & probè sciat, quid audiverit, quidq; sibi ea velint. *Cramerus l.c. p. 364.*

קוֹל דְּבַר sermonum (sermones) Dei] vox **קוֹל** secundem *Aben Esram ad Ps. 19. 4.* (cit. *Buxtorff. in Lex. Hebr.*) significat verba quæ continent sensum perfectum, sermonem integrum, informantem. *vid. Geier. in Psalmos p. m. 59.* A. Nomen **קוֹל** aliàs appellativum est, notans tum robur tum robustum. *Idem in Ps. 5. v. 5.* hinc tamen sine dubio nomen proprium Dei, cujus solius fortitudo est & robur. *Ps. 62. v. 2.* quia ponitur in singulari substantivè & concretivè, sine additamento alienante vel imminuente & *μωαδινος*; qua ratione positum, semper Deum altissimum, ejusq; substantiam cum connotatione potentiae designat, observante hoc ipsum *B. Calovio, Theolog. nat. & revel. p. 402 & 404. & Buxtorffio. Dissert. V. th. 46. de nominibus Dei.* Hujus itaq; Dei fortissimi mentione, hos quos jam audiebat & proferebat sermones, ab aliàs usitatis idololatricis & superstitionis præfagiis à Diabolo auditis, apertè satis distinguit.

וְיָדַע דָּעַת qui novit doctrinam (sciens scientiam)] verbum **יָדַע** hinc, uti & aliàs (v. gr. *Cohel 8. v. 4.*) de experimentalis notitiâ sumitur, adeòq; notat certam scientiam, (sine omni dubitatione) alicujus rei habere *vid. Gerb. in Harm. p. m. 265* **יָדַעַת** est h. l. infinitivus nominascens. *Buxtorff. l. c. & Wasmuth. in Hebr. Rest. p. 86. & 180.* notatq; scientiam non qualemcunq; sed suis rationibus suoq; fundamento probè satis innixam. Nec peculiari caret emphasi quod hòc modò cum suo conjugatò verbum **יָדַעַת** conjungatur, sed indicat, omnis, hanc ipsam scientiâ expertem fuisse, periculi erroris, quippe satis assecuram, *vid. Glassius, Philol. S. 1. 3. Tr. 3. cap. 32. p. 335.*

עַל יוֹד



עליון *Altissimi*] Est hoc unum ē decem Dei nominibus recensitis ab Hieronymo *Epist. ad Macellum* 136. cit. Geier. ad *Pf* 91. v. 1. descendens ab עליון ascendit, emittit supra alios, adeoq; metaphoram involvens petitam à foliis Regum eminentibus. *1. Reg. 10. v. 19. Cohel. 10. v. 7.* vel aliis rebus celsis, eò quòd ejus majestas supra cuncta creata fictosq; Deos alios logissimè eminet, quippe qui est Dominus excelsus super omnem terram. *Pf. 83. v. 19.* Hujus se Bileam dicit scire scientiam, non subjectivè talem, quam in se suàq; essentià habet habitantem, sed effectivè, quam scire fecit Bileamum, sive quam ei per revelationem communicavit. *vid. Glassius. c. Tr. 1. c. 30. p. 102.*

וְיִשְׁרָאֵל *visiones (visionem) Omnipotentis*] ad vocem וְיִשְׁרָאֵל quod attinet, de ejus derivatione non convenit inter eruditos, nonnulli enim eorum, illam derivant à Rad: וְיִשְׁרָאֵל devastavit, quia Deus eà quã omnia condidit potentiã, etiam omnia vastare possit, alii eam compositam volunt ex וְיִשְׁרָאֵל (quod valeat וְיִשְׁרָאֵל) & וְיִשְׁרָאֵל quod sufficiens, idemq; esse, quòd: qui sufficiens sibi, sive sufficientissimè, (uti Deus esse debet) potens, verum quòcunq; horum modorum ejus instituat derivatio eò tamen redit ut significet Omnipotentem.

וְיִשְׁרָאֵל *videt (intuetur, contemplatur, prospicit)*] ita enim, ut ut Futurum sit, per Præsens hìc rectè redditur, quia & præcesserunt proximè Præsens, & sequitur quoq; proximè Præsens, adhuc quoq; hic innuitur actus continuus, (in quò Futurum Præsens sæpe includit *vid. Wasmuth. l. c. p. 86.*) non enim demum visurus erat, sed actu videbat. Cæterum usurpatur quidem hæc vox etiam de visione oculorum, plerumq; tamen (*notante Gerb. l. c. p. 254. B.*) de visione prophetica & quidem mentali, uti *v. gr. Dan. 4. v. 10. c. 7. v. 2. & c.* & quòd h. m. nim. de visione mentis, etiam hic accipienda sit, vel exinde patet, quia nullius externæ speciei, oculis Biliami objectæ, in Textu sit mentio, & hinc nec talis temere fingenda est. Præterea, quòd (uti aliàs) ita hic visionem mentalem ejusmodi significare possit, quæ conjuncta fuerit cum desiderio videndi ea, (quæ ipsi revelabantur) etiam oculis corporis, vel ex v. 23. ejusdem hujus capituli satis colligi potest.

וְיִשְׁרָאֵל *quicadens, (demittens se, procidens)*] variè à variis hæc vox explicatur. Nonnulli enim eam explicant de וְיִשְׁרָאֵל cadere in somnum, in quò ipsi (uti sæpe aliàs id Prophetis accidere solebat) revelationes factæ & oculi mentis fuissent aperti, ut *Arabs. LXX. Aben Esra & Lyra* Alii de aversione sive alienatione sensuum ut itidem Lyra. Alii de ejusmodi ca-

dere quod profectum fuerit ex terrore, ac timore, ubi timuerit Bileam, ne forte, quia incircumciscus, adeoque indignus esset, cui Deus quicquam revelaret, ab eodem consumeretur, si erecto coram ipso corpore insisteret, hincque se coram eodem humilians in faciem prociderit. Ut *Jonathan & Raschi*: Alii de impotentia Bileami, quod nim. ut improbus & gentilis homo non potuerit ferre irruentem Spiritum Dei hincque procidere necesse habuerit. Ut *modo citati*: Alii de compositione corporis ad preces, ut *B. Lutherus*. Alii de gestibus videntium visiones divinas, qui saepe majestate visionum coelestium territi, conciderunt in terram, & ob supervenientem spiritum prophetiae procubuerunt, praeter vel terrore, vel reverentiam erga revelantem, *vid. 1. Sam. 19. v. 24.* idque saepe apertis hiantibus & attonitis oculis, quod & sibi evenisse testetur Bileam, ita quidem, ut non obdormiverit, (sui sibi non conscius) sed apertos habuerit oculos. Ut *Cramerus l.c.* Alii denique de τω cadere in ecstasin, ubi extra se raptus, excidens, sed reiectus oculis fuerit, ita ut tamen etiam videret quae extra ipsum, quod alias non accidere solebat illis, qui ecstasin patiebantur. Ut *Job. Adam Osiander*. Prima harum explicationum, praeterquam quod ex toto S. codice demonstrari vix poterit, verbum hocce, ita simpliciter, uti hic positum, de τω cadere per somnum accipi, disertè contrariatur textus nostri & antecedentibus v. 1, 2, 3, 4. & consequentibus. v. 20, 21, 22, 23, 24. quippe ex quibus oppidò videre licet, stanti, vigilanti, contemplanti, (& sic non dormienti) oculos mentis per revelationes divinas apertos esse. Secunda contradicit verbis ipsius Bileami, qui se, & in mediâ hâc revelatione, sibi satis conscius, adeoque non alienationem sensuum passum esse dicit, vide, quae ad vocem. עֵינָיו & seqq. supra diximus. Tertia & Quarta falsa nituntur hypothese, quasi nim. soli incircumcisci necesse habuerint, ob indignitatem suam procidendò in faciem se coram Deo humiliare, & quasi saltem soli circumcisci adeò potentes fuerint, ut semper erectò corpore stantes, & nunquã procidentes irruentem Spiritum Dei ferre potuerint. Contrariū veriusque patet ex *1. Sam. 19. v. 24. Ezech. 1. v. 28. Dan. 10. v. 8. & 9. Apoc. 1. v. 17. & c.* Reliquae tres sibi non contrariantur, sed optimâ ratione conciliari possunt. Probè enim satis cogitari potest, hominem gentilem suae in dignitatis memorem, ad Deum terribilem non sine precibus, sui demissione ac reverentia, ne ab eodem consumeretur, accessisse, nec talia sublimia, tam accuratè, sine mentis suae elevatione, atque extra se quadammodo raptu, iatueri, contemplari, ac quasi coram ea spectaret, aliis narrare potuisse.

: עֵינָיו וגַּלְגַּלִּי *apertos habet oculos (reiectus oculis)]* infelici nim. illò conatò velamine, quò oculi mentis obducti veluti sunt, ne intueri,

tueri queant evangelica mysteria relecto, & inhabilitate illa, in intellectu ad cognoscendum objecta supernaturalia repta, remota, oculisq; ita supernaturali lumine ad videndum supernaturalia collustratis, hæc enim proprie vocis *וַיִּרְאֵהוּ* emphasis est, teste Geiero ad Ps 98. v. 2. & 119, v. 18.

v. 17. *וַיִּרְאֵהוּ* videbo eum (video eum)] Futurum esse quilibet facile videt, quia autem, ut jam tum supra dictum, Futurum Præsens includit, hinc, quomodo reddendum? an per Futurum an per Præsens? item de quali visione, corporaline an mentali (quia de utraq; aliàs vox *וַיִּרְאֵהוּ* accipitur) hic intelligi debeat? non sine causâ quaeritur. Sanè per Præsens & de visione mentali tantum, quò minus cum nonnullis reddi & accipi possit, obstant tum antecedentia tum consequentia; antecedentia, nam in illis, visionis mentalis i. e. revelationis quam tum in præsentem habebat jam tum fecerat mentionem, nunc autem visionis istius mentalis sive revelationis exponere volebat proprium objectum, quomodo & sub qua ratione illud à se esset videndum, nim. aliquando etiam oculis corporis, & non tantum, uti jam, oculis mentis, sicq; omnino per Præsens reddi & de visione nuda mentis accipi non potest, id quod eò magis probatur inde, quia isti sententiæ quoq; obstant sequentia, in quibus disertè dicit: visionem hanc de qua jam loquitur, non modò, sive non in præsentem, sibi contingere, quomodo autem hoc dicere potuisset, si nudam visionem mentalis intelligi voluisset, quam sanè tum maximè in præsentem perfectè satis (ut antea dictum) habebat. Manet itaq; vera illorum sententiæ, qui cum *Vulgata*, *B. Luthero*, *B. Calovio*, & *Job. Adamo Osiandro*, aliisq; illud per Futurum reddendum & de visione oculari, (*quæ se illum aliquando, in Posteris suis inter quos, inter alios & Magi ex oriente venturi, fuissent, visurum hinc Bileam prædicat*) accipiendum esse dicunt. Neq; enim infrequens est in Scripturâ S. ut aliquid persona aliqua de se ipsa pronunciet, quod tamè de posteris suis tantum intelligi vult. *vid. 1. Chronic. 18. v. 17. Gen. 15. v. 7, 8 & c.* Equidem objicitur huic sententiæ: Bileamum Syrum fuisse, quomodo ergo Magi ejus potuerint esse posterii? quippe qui ex Oriente venerint; Syriam autem Hierosolymæ non esse versus Orientem. Verum respondetur ad hanc objectionem: Aliud esse Syriam integram, aliud Syriæ partem, licet integra Syria respectu Hierosolymæ, non fuerit sita versus orientem, pars ea tamen ejus, ex qua Bileam venit versus orientem respectu Hierosolymæ sita fuit. Ita enim S. Scriptura dicit: habitasse Bileamum super fluvium Filiorum Populi sui, (*qui fluvius, juxta Job. Adam: Osiandrum in Comment. ad Num. c. 22. v. 5. est Euphrates*) & quidem in eâ regionis Syriæ parte, quæ Mesopotamia dicitur, cujus situs ,
respe-

respectu Hierosolymæ omninò est versus orientem, & sic adhuc ex oriente
 venire ejus posterì potuerunt. Plura hâc de re vide in *Señ. II. Qu. I.* Quid
 autem tandem præcisè de Magis ex oriente venientibus sit, concedamus,
 eos non fuisse Bileami posteros, sed Persas, ex Persiâ venientes, uti volunt
 multi alii interpretum, exinde tamen concludi nondum potest; quod tem-
 pore Christi nulli ejusdem fuerint Posterì, qui eum longè latèq; notum, vi-
 dere audireq; potuerint, idq; cum aliis Profelytis, etiam ex disitis regionibus
 Hierosolymam proficiscentibus, id quod Bileamo ipsi non contigit, quippe
 qui licet aliqua, tamen tam multa de eò non audivit, quam ejus posterì, qui
 Christi tempore vixerunt; & hæc simul intelligere hoc ipso verbò בִּלְעָם Bi-
 leam voluit, est enim illud quidem à visu petitum interim tamen (*Geiero ad
 Ps. 16. v. 10. teste*) omnibus sensibus adeòq; etiam auditui commune. Præte-
 rea etiam reverà eum erat visurus, sed non modò, sed in die demum extremo
 verè ipsum erat intuiturus, sed non propè i. e. cum Epulone divite è longin-
 quò, *Luc. 16. v. 23.* quamvis de hòc ultimò Christi adventu ad judicium ipsi pro-
 priè non erat sermo, sed de primò, qui erat in carnè, quemq; dictò modò in
 Posteris vidit. Relativum וְיִי uti aliàs sæpè (*teste Glasfò Philol. S. I. 3. Tr. 2.
 p. 193.*) respicit ad consequens, sive ad id quod in textu sequitur, nim. ad stellam
 ex Jacob orituram & sceptrum de Israel consurrecturam, de quò mox erat di-
 cturus, & per quæ Messia intelligit fatentibus id ipsum nobiscum & *Chaldeis
 & Arabe.* Conf. de simili Relativi explicatione *Ps. 87. v. 1. Prov. 7. v. 7, 8, 10. & c.*
 וְיִי *sed non modò*)] ? h. l. rectè redditur adversativè, uti & alibi.
vid. Gen. 6. v. 8. c. 45. v. 26. c. 48 v. 19. Cæterum uti dictum ex his vocibus patet,
 de aliâ ipsi, quam de nuda visione mentis, sermonem esse, quippe quâ illum om-
 ninò tum modò videbat.

וְיִי *intuebor* (*contemplabor*) *illum*] Habet quidem & cantandi
 significationem hoc verbum, verum quo minus illa hic locum habere possit,
 obstant tum verba proximè sequentia: & *non propè*, quæ visum, non cantum
 requirunt, (quæ enim nobis non propè sunt, eminus videre, non canere dici-
 mur,) tum persona dicentis quæ hic agit non Poëtam, sed Prophetam. Ad vi-
 sionem autem quando refertur, ex communi Interpretum sententia (*not ante
 Job. Ad. Osandro ad Num. 23. p. m. 259.*) notat extendere, intendere, dirigere
 oculorum aciem, observare, rectè intueri, contemplari, diligenti observatione
 & inquisitione rem speculari, item procurrare ad observandam rem aliquam,
 tanquam novam, insolitam, miram, atq; eximiam. Sicq; magis est quam prox-
 imè præcedens verbum בִּלְעָם, optimèq; congruit in omnes, qui ex Bileami Po-
 steris

seris magnâ cum admiratione (*confer. Actor. II. v. 9. & 11.*) ac diligentia piâq;
contemplatione Stellam hic prædictam Christum in carne viderunt, atq; ex e-
jus splendore (doctrinæ & miraculorum) eum verum promissum Messiam
esse collegerunt. Cæterum quod per Futurum reddendum sit, & quid sibi ve-
lit adjectum Relativum, de eò modò paulò ante dictum.

קרוב *sed non propè* (propinquum)] quippe adhuc longè est il-
lud tempus in quo hæc futura sunt, interim ego illud eminus ita videns, magnò
cum desiderio video, more nim. navigantium, qui desiderata loca è longinqvò
prospiciunt, & priusquam ingrediantur, ac inhabitent, salutatione quâdam
præveniant (*vid. Osiander. l.c.*) ita non possum non, quin felicitatem Postero-
rum meorum deprædicem.

בֹּרֵךְ *orietur* (incessit, processit) *stella*] Præteritum pro Futu-
rò, more Prophetis usitato ad indicandam rei, de qua sermo est, futuræ, certi-
tudinem. Porrò lepida admodum est Metaphora, si, quare de Christo usurpe-
tur, ritè consideretur. Et quidem, quia de stella hæc dicitur, quod sit oritura vel
processura, patet, illam desumptam esse, nò à fixis sed erraticis stellis, quæ licet
in altissimo positæ sint cælo, tamen statis temporibus postquam sub terrâ de-
lituerunt, inde procedere, oriri, radios suos longè latèq; spargere, inferiora
pulcherrimè illuminare posteaq; iterum sub terram se recondere solent: Ita
omninò stella splendida matutina ac oriens ex alto Dominus noster JESUS
Christus, licet esset Deus excelsus, longè supra sortem omnium creaturarum
positus, tamen ipsi placuit non de cælo majestatis suæ ex improvise apparare,
sed sub terrâ, i. e. sub corde & in utero Matris virginis Mariæ, quæ æq; ac nos
pulvis ac terra erat, ex posteris Jacobi oriunda, delitescere, indeq; tanquam
stella pedetentim procedere, semper altius atq; altius sapientiâ ætate & gratiâ
(quâ humanam scil. naturam) provehi, radios doctrinæ & miraculorum suo-
rum longè latèq; spargere, omnes homines ad vitam æternam clarissimè illu-
minare, demum iterum sub terram, quæ erat sepulchrum ejus, se recondere, &
ita his omnibus peractis vicissim in gloriam & in accessam lucem suam intra-
re. Et hæc est vera horum verborum emphasis, comprobantibus id ipsum ma-
gnam partem ipsis etiam Judæis, quorum testimonia, unâ cum contrariarum
sententiarum, discussione suppedabit infra *SECT. II. QVÆST. II.*

מִיַּעֲקֹב *ex Jacob*) i. e. Posteritate & stirpe Jacob, quam coràm videbat,
per Metonymiam causæ pro effectu, uti in Scriptura passim. *Confer.*
Ps. 147. v. 19.

מִשְׁרָאֵל



מִשְׁרָאֵל וְיָקָם שֵׁבֶט מִיִּשְׂרָאֵל & *consurget virga (sceptrum) de Israel*] ite-
rum Præteritum pro Futuro, ob rationem modò dictam. Porro significati-
onem Radicis קָם quod attinet, ea in S. Codice non est una, vel enim notat motum
fessionis aut cubationis oppositum, h. e. surrectionem, ut *Pf. 139. v. 2.* vel notat si-
tum erecti, in loco suo consistentis, h. e. stationem, ut *2. Sam. 23. v. 10.* vel notat
componere se ad novum aliquod opus vel negotium, v. gr. ædificationem *Es-
ra: 3. v. 2. Nehem. 2. v. 20.* auxilium ferendum, *Pf. 3. v. 8. Pf. 7. v. 7. Pf. 9. v. 20. & c.*
invasionem hostium. *Num. 10. v. 9.* adeoq; etiam ad arma, vel deniq; notat instar
Regis è conclavi suo, ad thronum publicum, iudicii pro oppressis subditis suis
exercendi causâ, surgere & procedere, ut *Pf. 76. v. 10.* Omnia hæc prædicata
apprimè conveniunt subjecto suo, quod h. l. est vox טָבַח, quæ vox iterum
multifariam in Scripturâ S. accipitur, (1) quidem pro baculo, quò immorigeri
percutiuntur. *Exod. 21. v. 20. Prov. 10. v. 13.* (2) pro tribu s. familiâ, *Deut. 18. v. 1.*
(3) pro castigatione, poenâ aut plagâ, *2. Sam. 7. v. 14.* (4) pro stylò vel calamò
scriptoriò, *Judic. 5. v. 14.* (5) pro sceptro regiò, regie majestatis insigni. *Pf. 45.*
v. 7. (6) pro ipsò regnò. *Amos. 1. v. 8. Zach. 10. v. 11.* Prima, quinta & sexta signi-
ficationes sunt hujus loci (reliquæ non item) significantq; magnò interpre-
tum consensu regnum vel Regem ex Israel, i. e. posteritate Israel seu populo
Israelitico surrecturum, & quidem in specie (uti postea Sect. II. Quæst. II. *pro-
babimus*) per Metonymiam signi pro re signata, regnum Christi spirituale, sive
etiam ipsum Regem nostrum spiritualem Christum, quod, vel qui, secundum
multiplicem significationem verbi קָם supra citatam rectissimè dicitur sur-
gere (1) tanquam virga, quæ initidò quidem in oculis hominum satis apparebat
tenuis, sed sensim tam altas agebat radices, inq; tantam assurgebat altitudinem
atq; firmitatem, tam immotè consistentem, ut nec omnium in universum ini-
micorum procellæ quicquam adversus illam prævalere possent, imò nec ad-
huc possunt (2) tanquam sceptrum, sive sceptriger, aut Rex, se componens ad
reædificandum collapsum tabernaculum David. *Amos. 9. v. 11.* ad auxilium fe-
rendum Judæ ac Israeli. *Jer. 23. v. 6.* ad invadendum hostes suorum. *Esa. 63.* per
tot: (3) tanquam Rex thronum dominandi gratiâ ascendens *Pf. 110. v. 1. & 2.* &
tanquam baculus fortis, immorigeros percutiens, vindictamq; strenuè ab illis
sumens *Pf. 2. v. 9.* Et hoc est, quod dicere vult, nim. sceptrum hoc, sive hunc Re-
gem præeminentia suâ superaturum esse, (id quod voce קָם significatur) reli-
quos omnes sceptrigeros in Israel. confer. *Cramerum l. c. p. 365.*

a. & u.

פָּרַץ & percutiet (franget, vulnerabit)] emphatica est hujus verbi significatio, quippe quod idem significat, quam integritatem alicujus rei lædere, percutiendo usq; ad sanguinem i.e. vulnerando, & quidem lethaliter, conqvassando, ut vis penitus enervetur sicq; facultas surgendi emergendiq; adimatur, caput conterendo, ita ut opponatur רָפָא נָשָׂא sanavit, ad denotandum quod ita illos vulneraturus sit ut omnis reconvalescendi spes penitus abscindatur, vid. Job. 5. v. 18. Psalm. 18. v. 39. Hab. 3. v. 12. adeòq; grandem significat mutationem, nim. exterminium & perniciem totalem, ubi conqvassatò capite emoritur totum corpus cum suis membris. (vid. Geier. ad Ps. 17. v. 39. Ps. 68. v. 21. & Ps. 110. v. 5.) id quod egregiè præstitit ipse noster Salvator, passione ac morte suà hostes suos & nostros spirituales exuendo, Coloss. 2. v. 15. ad sanguinem usq; percutiendò, Esa. 63 per tot. caput eorum conterendò, Gen. 3. v. 15. opera illorum destruendo, 1. Job. 3. v. 8, inq; victoriam eos absorbendò. 1. Cor. 15. v. 54. & adhuc hodiè præstat baculò ac spiritu oris sui, quò cum percutit terram impiosq; interficit, imò & in futurum præstiturus est, cum iniquum, omnesq; ejus asseclas in totum destruet illustratione adventus sui. Esa. 11. v. 4. 2. Thess. 2. v. 8. De quò pluribus vide Theologos.

כַּוֵּן פְּנֵי מוֹאב Duces (angulos, latera) Moab] metaphora enim latet in voce פְּנֵי desumpta à lateribus sive muris urbium, murorumq; angulis, muros & per consequens urbem jungentes, continentes & sustinentes, qui anguli, si in oppugnatione urbis tormentis quatiantur atq; disjiciantur, facile diruuntur & muri & ipsa deniq; tota urbs, adeòq; id dicere vult: Regem Christum ex Jacob oriturum, & Duces, instar murorum atq; angulorum terram Moab jungentes, continentes & sustinentes percussurum, & integram adeò terram in omni latere & angulo perditurum. Ducibus enim, tanquam pastoribus percussis, facile disperguntur & subditi sive oves Confer. 1. Reg. 22. v. 17. Zach. 13. v. 7. & Job. Adam. Osiand. ad Num. c. 24. p. m. 274. it. Mattheum Polum in Bibliis Criticis ad h. l. Porro: quomodo vox Moab hic accipienda propriè an tropicè de eò vid. Sect. II. Quest. 3.

וַיִּקְרַץ vastabitq;] propriè: exparietabit, parietibus enim destructis, domum nemo inhabitare potest, adeòq; devastatur & desolatur, & hoc minatur domicilio sive habitationi omnium filiorum Seth, uti sequitur:

: כָּל-בְּנֵי-שֵׁת omnes filios Seth] Dubiæ aliàs significationis est nomen שֵׁת propriumne sit an appellativum, notante Glasio Philol. S. l. 4. Tr. 3 p. 853. Appellativum qui id esse dicunt, exponunt vel de eà corporis parte, in quâ

C

600

considero solemus quam honestatis gratiâ scripturam sedem appellare asse-
 runt, ut ita *omnes filii sedis* idem sint, quod omnes isti populi, qui pone, sive
 post tergum Bileami erant, prout ille tum stabat, quales fuisse dicunt Ammo-
 nitas, Midianitas, & alios orientales populos. Vultum enim ejus tum ver-
 sus occidentem directum fuisse, versus quem populus Israel castra habuisset.
Vel de obsidione, ut intelligantur omnes obsidione & angustiâ prementes po-
 pulum Israël, i.e. omnes eorum inimici. *Proprium* autem, qui id h.l. esse
 contendunt, exponunt de omnibus filiis hominum sive omnibus hominibus,
 à Seth descendantibus, idemq; esse dicunt, ac si diceretur: omnes filios Adam,
 neq; enim post diluvium alios Adami filios superesse, quam illos qui ex Seth
 descendissent, Abelem enim absq; liberis discessisse, Caini autem liberos o-
 mnes diluvio periisse. Et horum sententia meritò præfertur, quippe quæ
 nititur autoritate plurimorum Interpretum non tantum Christianorum, sed
 & Judaicorum, adde etiam antiquissimarum Versionum, Chaldaicæ utriusq;,
 Arabicæ, etiam LXX. viralis, Vulgatæ &c. *Confer. Glassium & Osiandr.*
locis citatis. Cætera ad genuinum horum sensum spectantia suppeditabit
SECT. II. QUÆST. III.

v. 18. וְהָיָה אֶרֶץ יִדְוּמָא *Et erit Idumæa (Edom) possessio (hære-
 ditas) ejus*] Quis Edom fuerit, & unde hoc nomen acceperit patet ex *Gen. 25.*
v. 25. & 30. hic jam μετονομασῆς ponitur pro Posteris suis, terrâq; quam ipsi
 ejus Posterii incolebant. Populus, internecinum semper atq; inveteratum
 inde à stirpe suâ, adversus Israëlitas, fovens odium, uti videre licet ex *Num.*
20. v. 17, usq; 21. Ps. 83, v. 7. Psal. 137. v. 7. Obad. v. 10. seqq. & de eò dicitur quod
 sit futurus possessio Israëlitarum in poenam desideratæ possessionis Israëlita-
 rum, quod futurus sit hæreditas, hæredibus Israël, eorumq; Regi Christo Do-
 mino, (*adjudicandum, quantum ad rebelles, ad servandum verò, quantum
 ad morigeros*) relinquenda vid. *Obad. v. 17. usq; 21. Esa. XI. v. 10, 14.*

וְהָיָה אֶרֶץ שֵׁעִיר *hereditas Seir cedet*] Seir, per dictum Tropum
 ponitur pro incolis. Est autem Seir (*notante Joh. Ad. Osiandrò ad Gen. 36. v. 8.*)
 terra & mons Edom, pars Arabiæ petrææ, inter Asphaltiten lacum, & Ægy-
 ptum, quam ita dici volunt ab Esavo שֵׁעִיר piloso; Sed quia *Gen. 36. v. 20.* Fi-
 llii Seir Horræi recensentur, credendum est ab hoc Seir Horræo, (primo ejus
 regionis montosæ Principe) id nominis accepisse. Datus autem à Deo erat
 in possessionem Esavo. *Deut. 2. v. 5.* Unde liquet, esse hæc verba quæ sensum
 repetitionem proximè præcedentium, idq; more propheticò, (*vid. Calov.*
in Bibliis Germ. Lutheri explicatis. ad h.l.) melioris declarationis ergo. *Con-
 fer Försterus in c. 2. Esaie.*

אִיבִי

אֵיבֵיבָי *inimicis suis*] nim. Israëlitis, qui Filiis Edom erant inimici, ob impietatem ac malitiam, & vicissim ab his habebantur pro inimicis, ob inveteratum inde à stirpe suâ servatum odium, de quò vid. *Gen. 27. v. 41.* Confer etiam ea quæ paulò ante ad initium hujus versus notavimus. Quod odium autem & quam inimicitiam ipse Christus sustulit. *Eph. 2. v. 14, 15, 16, 17, 18.* Omnibusq; æternam benedictionem (qui modò illam accipere volunt) ex æquò promeruit & obtulit. *Actor. 15. v. 7, 8, 9. Rom. 3. v. 22, 23, c. 10. v. 12.*

וְיִשְׂרָאֵל עָשָׂה חַיִל : *Israël verò fortiter* (virtutem, strenuitatem) *aget*] Non modò corporalis iste, in certamine, cum Idumæis perpetuò corporali, ita, ut non ab eò deleatur, sed ad tempora usq; Messiaæ permaneat; Sed & maximè spiritualis ille, nim. Israël Dei, qui secundum Spiritum Israël est *Gal. 6. v. 16. Eph. 6. v. 13.* i.e. Messiaæ, sive Christo, Regi ex Israël orituro, adhærens ecclesia, per Evangelium subjugabit jugo fidei infideles, utpote quorum arma non sunt carnalia, sed potentia Dei, ad destructionem munitionum, & consiliorum & omnis altitudinis, extollentis se adversus scientiam Dei, ut in captivitatem redigatur omnis intellectus, ad obsequium Christi, ultioq; sumatur de omni inobedientia. *2. Cor. 10. v. 4, 5, 6.* Imò etiam Ducis sui virtute, ipsum Diabolum mortem & infernum. *1. Cor. 15. v. 57.* Sit mihi hæc fortis & virtuosa Israëlitis Dei actio! Confer: *Osiandrum ad h. l. p. m. 278. & Calov. in Bibl. Illustr. p. 544, 545.*

v. 19. וְיִהְיֶה מִיַּעֲקֹב *De Jacob erit qui dominetur* (& dominabitur de Jacob) וְיִהְיֶה *pro וְיִהְיֶה* (ex וְיִהְיֶה dominatus est, dominium exercuit) per Apocopen tertie Radicalis ה quæ hic etiam fit cum ו non conversivo, de quò vid. *Wasmuth. in Hebr. Rest. p. m. 146. seq.* pro Chireck sub præformativâ est (") *juxta eundem p. 143.* pro retractò autem (") sub prima radicali est (') ut habet *idem p. 145.* Cæterum quis iste sit qui de Jacob dicitur dominaturus, facile constat ex præcedentibus, nim. *stella illa & sceptrum de Jacob.* i.e. Messias, de quò hætenus omnia accipi voluit, adeòq; nec hæc, quæ de dominio, (quod sceptro benè constituto feliciq; , quæle hoc omninò esse debebat, uti constat, cohæret) dicit, excludi, & de aliò intelligi cupiet, maximè cum nomen Dominatoris Christo peculiari & eminenti ratione proprium sit, teste *Michás. v. 2. Luc. 2. v. 11. & Scripturâ N. T. passim. Confer. Calov. in Bibl. Illustr. p. 544.*

וְהָאֵבֵיבָי *& perdet*] Verbum אָבֵיבָי *notante Geiero ad Ps. 37. v. 20.*) sumi solet de gravibus ærumnis, ubi interitui aliquis est proximus, item de interitu ipso vel morte. *Prov. 31. v. 6. Esa. 57. v. 1.* neq; de interitu & perditione tantum temporali, sed & tali, quæ inferno solet conjungi *Prov. 15. v. 11. c. 27.*

v. 20. & à quâ Diabolus vocatur Abaddon, Angelus perditionis. *Apoc. 9. v. 1.*
 adeòq; perditionem notat & temporalem & æternam. *Confer. Chemnit. in*
Harm. p. m. 244. B. & Gerb. in Harm. p. m. 186. a. Et in Hiphil, uti & h. l. posi-
 tum est, de omnimodâ rei perditione (qualis est eorum, quorum & nomen sub
 sole aboletur *Deut. 7. v. 24.* & de terrâ viventium eraditur *Jer. XI. v. 19.*) adeòq;
 nunquam (*observante Fewborniô Tom. 7. Giess. Disp. 13. tb. 100.*) de mutatione
 rei in meliorem statum relatæ, in sacris usurpatur. Quibus ita observatis, faci-
 lè constat locum habere non posse, explicationem Origenis, (*qui de salvari ac*
utili perditione explicat, quæ nihil aliud sit, quam civitatis, cujus hic fit men-
tio, (per quam intelligit mundum infidelem, vel etiam reliquias Hierosolymæ
sive Synagogæ) ad Christum conversio, beneficiô cujus conversionis desideria
refrenentur, cupiditates rescentur, luxuria castigetur, hocq; pacto pereat a-
nima vitæ prior, incipiat verò nova quæ in Christo, est, & abscondita in Deo.)
 quippe quæ licet impia non sit, tamen verbo quod hic occurrit, aliterq; in
 Scripturâ usurpatur, non convenit; sed omninò præferendam esse illorum ex-
 plicationem, qui cum *B. Calovio, Job. Ad. Osandro,* aliisq; explicant de per-
 ditione propriè sic dicta, tam temporali quam æternâ, omnium Christi & Ec-
 clesiæ suæ hostium tam corporalium quam spiritualium. *vid. Calov. Bibl.*
Illustr. p. 544. & Bibl. Germ. Lutheri explicata. p. 899. nec non Job. Ad.
Osander ad h. l.

: מְעִיר שְׂרִיר *reliquias civitatis.*] Quænam hic intelligatur civitas,
 de eò non una est Interpretum sententia. *Jonathan* in Versione Chaldaica,
 ut & *R. Salomon* per illam intelligunt Romam, quondam Cæsaream Impera-
 torum Romanorum fortissimam, indeq; antonomasticè civitatem dictam,
 tanquam civitatem nominatissimam, & sub hujus nomine Romanum Impe-
 rium, in quò successerunt Catholici (sive Christiani) qui secundum eum per
 Judæorum Messiam futurum sunt destruendi. Verùm (*uti & Lyra, hoc jam*
tum agnovit, ad h. l.) hæc expositio falsò nititur fundamentò, quippè quæ
 (1.) Supponit Messiam adhuc venturum, qui tamen verè jam tum venit. (2.)
 Messiam in virtute armorum venturum, id quod diserte est contra *Zach. 9. v. 9.*
 Alii, quos inter & *Origenes* per eam intelligunt, (ut modò antea dictum)
 mundum infidelem, reliquiasq; Synagogæ Judaicæ ad Christum converten-
 das; Verum uti dictum contra id quod aliàs in Scriptura significat vox מְעִיר
 Alii deniq; & quidam probabiliùs civitatem, sive civitates, (*ita ut Singularis*
positus sit pro Plurali, more Scripturæ non insolitò, uti videre licet Exod. 20.
v. 10. Gen. 3. v. 8. Ps. 6. v. 7. Ps. 8. v. 9. & c.) Idumæorum, & adhuc alii etiam Moa-
 bitarum, omniumq; vicinorum, de quibus omnibus hætenus locutus erat, &
 sub horù nomine omnes omninò civitates, (quòcunq; etiam illæ locò reperi-
 antur)

antur, Israëlī Dei inimicas, eundemq; ut hostes persequentes, & qui in illis sunt, ut homo perditionis, hæretici falsiq; fratres omnes, quos omnes hic Dominator rectè dicitur perdere, uti id ipsum experientia partim jam tum testata est, perditione omnium Bileamo hic memoratorum populorum, unà cum omni suò cultu idololatricò, qui populi nuspiam hodiè amplius reperiuntur. Partim etiam & adhuc in posterum bonò cum Deo testatura est, cum nim. in illustratione adventus Dominatoris hujus & extremo supplicio, reliqui itidem poenas daturi sunt in interitu æternas, à facie Domini & gloria virtutis ejus. 2. *Theff. 1. v. 9.*

SECTIO II. PROBLEMATICA.

Quæstiones de hoc dictò scitu maximè necessarias afferens, sententiasq; de eòdem Adversariorum contrarias examinans.

QVÆST. I. Quis fuerit hicce Bileam, & quomodo vaticinium de Christo edere potuerit?

Resp. **ORIGINEM** ejus si consideremus, ipsemet de se non unà vice testatur, se esse Filium Beor, quod ejus testimonium, de ipsius origine etiam Scriptura multis in locis confirmat, exceptò unicò locò *2. Petr. II. v. 15.* ubi à Petrò vocatur Βαλαάμ τῆ Βοσόρ, quam vocem Βοσόρ, Vulgata intelligit de patriâ, verùm cum expressè, aliam Scriptura ejus nominet patriam (à *Vulgatâ minus rectè translata*, ut mox dicemus) nec facilè probari potuerit *articulò τῆ*, in N. T. designari Patriam, satis superq; autem, eòdem denotari Patrem, uti inter alia ex *Luc. III. v. 23 seqq.* prolixè constat, hinc omninò anteferenda esse videtur sententia illorum, qui cum *B. Cramerò l. c. B. Calovio in Bibl. Germ. Luth. explic. ad Num. 22. v. 5.* aliisq; vocabulum Βοσόρ itidem de nomine Patris Bileami exponunt, dicuntq; Patrem Bileami (id quod in istis regionibus non inusitatū fuit, uti patet ex *2. Reg. XV. v. 1. & 7. coll. cū: v. 32. Matt. X. v. 2, 3. & c.*) fuisse Binominē, (nā quæ ad concilianda hæc nomina adducit *Cramerò l. c. dicendò: Videtur solutio consistere in unica litera V, quæ media est in voce τῆ Β, & tā gutturalis & aspera est, ut à nobis rectè pronuciari nequeat, continens duplicem aspirationem, vel quod idem est, A, in gutture formatum: quæ aspiratio si in gutture validè formetur, non longè sonus aberit, vel ab S, vel ab SG, cui ad stipulatur valor literæ S, quæ tantam habet cum H. aspiratione cognationem, ut Prisciano Auctore, veteres eam locò aspirationis posuerint. Facillimus ergo est Bebor in Besor transitus. Prima autem vocalis e in o levicula mutatio est. Unde Behbor & Bosor pro eadem dictione habebuntur, quæ tamen differant pronunciatione, secundum quam scriptio variat. Hæc ille, l. c. p. 363. videntur quidem satis probabilia, sed (quod tamen salvâ autoritate & pace tanti viri, saltem hîc dicere liceat) contrariantur Judæis omnibus, quippe qui unò ore dicunt.*

dicunt: literam V non gutture & ut aspirationem, sed per naves & ut NG esse pronunciandam (teste R. D. Kimchi in Grammatica) adeoq; uti dictum, firmiori stat talo eorum sententia, qui & Beor & Boser illum (Patrem Bileami) dictum fuisse existimant.) MAJORES ejus quod attinet, eos Nahoris (fratris Abrahami) posteros, adeoq; & ipsius Semi familiam fuisse, dicit B. Calov. in Bibl. Germ. Luth. explic. ad Num. 22. v. 5. id quod etiam vel exinde facile probari potest quia Syrus fuit, (de quo mox) Syri autem omnes Aramo, filio Semi originem suam debent, vid. Sam. Bochartus in Ebraeg. p. 83. PATRIAM ejus quod concernit, illam ipse itidem indicat Num. 23. v. 7. dicendô: de Aram, i. e. Syria (vid. Bochartus l. c. Cluverius in Introductione in universam Geographiã p. 539.) adduxit me Balac. Cum autem tum temporis Syria terrarum esset maxima, multisq; constaret partibus, nim. Assyria, Mesopotamia, Babylonia, Phœnice & Palæstina (quarum nonnullæ postmodum sunt avulsæ) teste Cluverio l. c. p. 538. ideòq; ulterius progreditur Scriptura, & ostendit etiam ex qua parte Syriæ Bileam fuerit oriundus, nim. ex Aram Naharajim. (Deut. 23. v. 4.) i. e. ex Syria duorum fluviorum Naharajim enim, uti notum, est Dualis numeri, duos significantis, quæ ita dicta, quia inter duos fluvios Euphratem & Tygrim, qui eam cingebant, sita erat, & hinc Μεσοποταμία, q̄: μέση τῶν ποταμῶν, i. e. media inter amnes, dicta est. vid. Cluverius l. c. p. 561. Mesopotamia autem iterum in duas dividitur partes, quarum una propè montes Armenia sita, est felix satis, ex pascuis & germinibus læta, altera meridiem versus, ubi loca inæquosa & sterilia inhabitant Scenitæ Arabes, ex raptò vivere, & more Nomadum divagari soliti (confer. Bochartus l. c. p. 86.) quam harum partium incoluerit Bileam, ipse itidem ostendit Num. 23. v. 7. dicens: de montibus orientis (i. e. eâ Mesopotomia, patria sua, parte, quæ propè montes Armenia sita, & versus eos porrigebatur) adduxit me Balac. Deniq; & ipsius URBS PATRIÆ ex quâ adductus Bileam fuerit, Scriptura meminit, Num. 22. v. 5. dicendô eam fuisse Pethor, quæ vox quod non appellativè de Hariolo (id quod viriose fecit Vulgatus) sed omninò de nomine proprio loci (urbis) cujusdam interpretanda sit, clarè ostendi potest ex Deut. 23. v. 4. ubi dicitur Moabitas conduxisse contra Israel Bileam filium Beor פְּתוֹר de vel ex Pethor Mesopotamiæ, ridiculumq; satis foret, si hæc quis ita transferre vellet: conductum esse contra Israel Bileam filium Beor, de vel ex hariolò Mesopotamiæ, & non potius de vel ex Pethor, (urbe hujus nominis) Mesopotamiæ. Præpositio enim de vel ex, non admitrit ut aliter quam de locò vox Pethor explicetur. Porro urbem hanc Pethor, urbem Haran fuisse creditur, (in quâ & Abraham olim habitavit) vid. B. Calov. in Bibl. Germ. Luth. Expl. ad Num. 22. v. 5. id quod exinde videtur etiam colligi posse, quia de hac urbe Haran dicitur, quod Euphrati fuerit propinqua, (vid. Cluverius l. c. p. 562.) & de Biliamo, quod habitavit juxta flumen terræ filiorum

cum



rum populi sui, quæ tertia uti dictum, erat Mesopotamia, ita dicta, quia inter
duo flumina Euphratem & Tygrim sita, inter quæ Euphrates majus erat atque
celebrius; jam autem notum est, quod, quando nomen, aliàs pluribus commu-
ne, simpliciter ponitur, illud plerumque; soleat intelligi de potiori, cui illud præ-
reliquis competit, idque; ob majorè ejus dignitatè, *vid. Deut. 1. v. 7. 1. Reg. 14. v. 15.*
sicque; non incongruè per flumen, juxta quod Bileam habitasse dicitur, Euphra-
tes intelligitur. Si autem quis urbem Pethor aliò in locò sitam, aliamque; ab
urbe Haran fuisse probare possit, equidem id, (quippe de quò nihil expressè
in S. literis habetur) non disputabimus, modò eam in Mesopotamia & juxta
Euphratem sitam esse concedat, id quod non tantum S. Codex, sed & plerique;
Interpreses saniores, tam veteres, ex quibus Chaldaeus (*de quo vid. Job. Ad. Osi-*
ander. ad Num. c. 22. p. m. 243. a.) quàm recentiores. *v. gr. B. Calovius in Bibliis*
utriusque, Osiander, aliisque; ad Num. 22. constanter volunt. Quibus hoc saltem ad-
huc addimus, quod notante *B. Calovio in Bibliis Germ. l. c.* hæc Bileami patriâ,
ex quâ eum Balac adduci jusit, ab eò locò, ubi Balac habitavit distiterit 110.
milliaribus. Ex his itaque; quæ de Patriâ Bileami dicta sunt, patet, falsam esse Scri-
pturæque; contrariam (1.) illorum sententiam, qui ejo Patriam constituunt terrâ
filiorum Ammon, quippe quæ falsò nititur fundamentò, nempe versione Vul-
gata, quæ verba *אֲרָם* vitiosè reddidit: filiorum Ammon, cum tamen pa-
teat ea reddenda esse: filiorum populi sui (qui teste Scripturâ erant incolæ Me-
sopotamiæ) (2.) illorum, qui eam dicunt fuisse Arabiam desertâ, eò quod in eâ
sit fluvius, qui vocetur Ammon (*vid. Bochartus in Phaleg. p. 7.*) namque; & hæc
ipsa opinio originem suam debet, modò dictæ vitiosæ Vulgatæ. (3.) Eorum,
qui eam in terra Midiam (*moti verbis v. 8. c. 31. Num.*) collocant, Ea enim,
non eò dicta sunt, ut illis Patriâ Bileami, quàm, uti dictum, expressè aliam fu-
isse Scripturâ sæpe inculcat, indicetur, sed ut ejus avaritia taxetur, justaque; eam
sequens mercès enarratur. Quippe qui, postquam in Midian consimilia il-
lis, quæ in Moab machinatus, indeque; iterum in Syriam profectus esset, cum
intellexisset, occidionem 24. millium Israelitarum, suorum consiliorum hunc
fructum venditans, mercedem à Midianitis petiit venerat, hæcque; occasione
cum ipsis occisus est. Quæ explicatio Hebræorum est, cum quâ consentit.
Epist. Juda. v. 11. vid. Calov. Bibliorum Illustr. p. 549. A. Cæterum quia Me-
sopotamia Babyloniam & Chaldaeam attingit, imò juxta nonnullos veterum
(*teste Bocharto l. c. p. 87, 88.*) eas ut partes comprehendit, quippe quàm ipsi
que; ad mare persicum extendunt) Chaldaea autem (*in quâ expressè Mago-*
rum facit mentionem Daniel c. 1. v. 20.) respectu Hierosolymorum situs, juxta
alias regiones versus orientem est (*vid. Chemnitius Harm. Ev. p. m. 107. A.*)
non adeò inconveniens videtur esse *B. Calovii (Bibl. Illustr. p. 545. A.) Job. Ad.*
Osiandri l. c. aliorumque; sententia, statuentium ex hujus Bileami posteris fuisse
Magos

Magos illos de quibus, quod ex oriente venerint dicitur *Matth. 2. v. 1.* Sanè, ad
 minimum (*stante supra dictâ hyperbese*) dici non repugnaret, eos ex his lo-
 cis, Patriæ Bileami contiguis, venire potuisse, Magos fuisse, atq; ex oriente,
 unâ cum aliis (*ex Persiâ, regione Chaldaea contermina, Magia*) venisse. Salvâ
 tamen aliorum Eruditorum explicatione, quos suô ingeniô libenter abun-
 dare patimur. Illud ad minimum negari non poterit: Daniele, ex cujus
 doctrinæ reliquiis, cognitionem hujus stellæ ex Jacob, Magos hausisse com-
 munitè asseritur, non tantum in Persiâ, sed etiam in Chaldaea vixisse, & qui-
 dem in Chaldaea primùm, magisq; cum Magis familiariter, quippe inter quos
 educatus est; nec frustra in eorum scholâ, semina quædam doctrinæ coelestis
 sparsisse, quæ hactenus in illâ manserint, dici potest. *vid. B. Chemn. Harm.*
Ev. p. m. 108. Et quid multis, ipse Abraham qui in Mesopotamia (*Patria hujus*
Bileami) habitasse expressè dicitur, *Act. 7. v. 2.* indeq; evocatus, dicitur vocatus
 מַגִּים ab oriente *Esa. 41. v. 2.* unde nec absurde Bileami posteri ex hâc ipsa
 Mesopotamiâ venientes dici possent venisse ab oriente. Quamquam, uti etiam
 jam antea diximus, præcisè hanc sententiam, quantum quidem ad Patriam
 Magorum, nostram non faciamus, contenti, dummodo id obtineamus, fuisse
 temporibus Christi adhuc aliquos ex Bileami posteris, qui ipsum oculis cor-
 poris viderint, & de quibus hic Bileamo sermo sit, id quod forsân etiam nemo
 simpliciter negare aut volet, aut poterit. Deniq; VITÆ GENUS AC OF-
 FICIUM Bileami si indagemus, docet nos Scriptura quod ipse fuerit MA-
 GUS, homo, qui in occursum auguriorum, sive ad captandas incantationes
 abierit, magicisq; artibus contra Israëlem agere tentaverit. *Num. 24. v. 1.* sicq;
 Propheta stolidus (*2. Petr. 2. v. 16.*) ac falsus, Diaboli (*hâc in parte*) non Dei,
 uti à nonnullis Patrum vocatur, apud *B. Calov. in Bibl. Germ. ad Num. 24. v. 1.*
 quem quidem Deus illuminaverat, sæpeq; alloquiô suô dignatus erat, sed qui
 hâc ipsâ gratiâ pessimè abutebatur, nec illâ ut vero Deo constanter adhereret,
 movebatur; sed nihil omnia contra expressum Dei interdictum populum
 benedictum diris devovere conabatur. Unde Deus, per accidens & hâc oc-
 casione motus, quod Balac eô abuti voluerit ad maledicendum (*ut declararet*
infinite suam tum sapientiam tum potentiam, ut cujus & pessimè cogitata,
suorum in salutem, & sciret & posset itavertere ut optimè caderent, atq; et-
iam per mala organa bona benè agere nosset, ita ut revera se diligentibus o-
mnia cederent in bonum Rom. 8. v. 28. rem invertit, utiturq; eodem instrumen-
 to ad benedicens illis, quibus maledicendi gratiâ, & adductus erat & ac-
 cesserat ipse, idq; voluntatem ejus (*in quâ maledicere sibi proposuerat saepeq;*
allaborabat) REFRENANDO, spiritu suô in eum irruente, ut videret,
 quam impossibile esset, populo huic, cui futuris temporibus & corporaliter
 & spiritaliter, tam præclare benedicere Deus, fallere & mentiri nescius ceriô
 consti-

constitueras,) maledicere; ILLUMINANDO, VERBAQVE IPSA IPSIUS ORI IMPO-
 NENDO, ut nolens velens (Num. 23. v. 20.) non posset non ineffabilem hanc-
 ce hujus populi felicitatem, quam ex revelatione Dei videbat, summè mirari,
 prout merebatur, prædicare, deq; illâ uti omninò fas erat, populo isti gratu-
 lari. Quæ verba, uti omninò Dei, (non Diaboli, aut ejus, extra hunc ca-
 sum, organi Bileami, quippe qui longè aliud facere allaborabat) de rebus cer-
 tò futuris, adeòq; verè vaticinia divina sunt, ita etiam non potest non, ille, qui
 ea instinctu Spiritus Sancti prolocutus est, quamdiu hic actus duravit, verus
 Vates atq; Propheta Dei (utpote cujus instinctu loquebatur ea quæ hic loque-
 batur) fuisse, licet uti dictum, id saltem ad tempus, adeòq; transitorius &
 temporaneus tantùm Propheta fuerit, (quippe qui postea ad artes magicas
 suas rediit) atq; hac in parte, in quantum dictis Dei obediens fuit omninò
 commendari, ejusq; nostro in dictò vaticinium, ut verum atq; sanctum de
 Christò vaticinium (non obstante persona dicentis indignitate) certò accipi
 potest, quippe quod valorem suum nec acquirit nec admittit ex causâ organi-
 ca, (quam sæpe etiam malam ob supra dictam rationem Deus adhibuit, uti post
 hoc, etiam exemplum impii Caiphæ Job. 11. v. 50, 51. Saulis. 1. Sam. 19. v. 24. alio-
 rumq; impiorum Matt. 7. v. 22. testantur.) Sed valet ex causâ primâ & inope-
 rante, Spiritu Sanctò, quippe in cujus (non Bileami) virtute prolatum est, a-
 deòq; æq; minus vitium atq; maculam ab eò contrahere potest, atq; Sol per
 squalida loca radios suos mittens vitium atq; maculam contrahere dici potest.
 Confer. Cramerus & Osiander l. c.

QVÆST. II. Quid per verba: Stella, Sceptrum & Dominator,
 Bileam intelligi voluerit?

Resp. VOX STELLA in S. Scriptura accipitur bifariam, nim. propriè &
 impropriè s. metaphoricè. Propriè notat omnia corpora globosa lucida cæle-
 stia, tam fixa quàm erratica Gen. 1. v. 16. Jud. 5. v. 20. Esa. 47. v. 13. Et de tali cor-
 pore, sive stella propriè sic dicta verba Bileami explicant (I.) Illi, qui (cit:
 Lyra ad. h. l.) dicunt: Bileamum hic intelligere aliquam constellationem spe-
 cialem, quæ apparuerit circa nativitatem ipsius Davidis, designans ortum ejus.
 Verùm cum cujusmodi illa constellatio fuerit nec dicere, nec quod verè un-
 quam fuerit, ex ullâ historia probare possint, ideòq; hæc opinio eadem facili-
 tate quàm asseritur, eadem & rejicitur. (II.) Origenes (apud Osiandr: l. c.) asse-
 rens, Bileamum voce Stellæ indigitare Stellam quæ Magis in Oriente appa-
 ruerit. Verùm cum de eâ non procedant prædicata, quæ stellæ hinc promissæ
 attribuntur, nec stella ista, ipsa fuerit Stella matutina Christus, sed potius
 tantum *Φαυόμενος* in aëre apparens, adeòq; omnium minimè (quod ad palli-
 andam hanc suam sententiam ipse Origenes sine omni scriptura adducit apud
 Lyræ. l. c.) tale Deitatis ejus indicium quod, (uti Sp. S. in baptismò ejus,)
 super eum, in & cum hæc stella venerit, super eum manserit, & nunquam ab

D

co



ed recesserit, quippe cum unio hæc Deitatis cum humanitate jamtum multo ante, nempe in conceptione facta sit; ideoq; & hac opinio suâ sponte collabitur: *Impropriè verò & metaphoricè*, denotantur etiam voce STELLA in Scripturâ Homines in his terris, ob honoris, gloriæ, sanctitatis ac felicitatis splendorem maximè conspicui, quales sunt Principes ac Reges item Sacerdotes Sanctiq; alii. *conf. Gen. 37. v. 9. Esa. 14. v. 12, 13. Dan. 8. v. 10. Apoc. 1. v. 20. & de tali stella verba Bileami intelligunt, (1.)* qui dicunt, cum voce Stella significare voluisse, maximè pium, felicissimumq; Regum Israeliticorum omnium Davidem, ut sunt Judæi recentiores, Deo & sanioribus suis Magistris valedicentes, & Pontificii (*citati ab Osiandro l.c.*) hæc in parte egregiè judaizantes, quorum sententiam facilè evertit recta prædicatorum, (*quæ huic stella tribuuntur, & Davidi ita, uti hic intelligenda, competere non possunt*) confideratio, de quibus in *Quest. seq. (2.)* Qui contendunt de Davide & Christo conjunctim verba Bileami esse intelligenda, idq; ideò quia in Davide regnum populi Dei cœperit, in Christo autem completum fuerit, inter quos tempus interjectum fuerit progressus quidam stellæ, sive temporale regnum spectetur, quod in primis spectârit Bileam, sive spirituale, quod continenter adimpleatur in Christo. Verùm præterquam quod sic duæ ad minimum fingerentur stellæ, nim. David & Christus, alius enim omninò est David, nim. de terrâ & terrenus, alius Christus, nim. oriens ex altò, sive Dominus de cœlò: duo itidem sceptrâ, unum merè corporale Davidis, alterum mere spirituale & tantum Christi, duo deniq; Dominatores, unus terrenus tantum alter cœlestis tantum: Foret etiam duplex verborum Bileami sensus literalis, quod absurdum. Mysticè autem tantum & per applicationem de Christo hæc (*adeòq; saltem secundariò*) intelligi possè & deberi, nec hujus stellæ prædicata permittunt, nec saniorum, omnium temporum Interpretum rationes & auctoritas. Hinc necessariò altera metaphorica vocis Stellæ attendenda erit acceptio, ubi accipitur de *CHRISTO IPSO*, stella illa splendida ac matutina *Apoc. 22. v. 16. ex alto oriente Luc. 1. v. 78. illuminante omnes homines in mundum venientes Job. 1. v. 9. & naturâ in tenebris sedentes Esa. 9. v. 1. adeòq; satis jucundè, voce metaphoricâ STELLÆ significato, partim ob ortum, partim ob eximium quem de se sparsit illuminantem splendorem, partim etiam ob similem quem cum stella habuit occasum, de quo confer. quæ ad vocem כּוֹכַבּ diximus in præcedente SECT. EXEGETICA. Vocem SCEPTRUM quod concernit, de eâ quidem nemo dubitat, non propriè (*de quo conf. Sect. Exeget.*) sed itidem tropicè & quidem metaphoricè illam à Bileamo accipi, nim. pro regno præ aliis celebri ac validò ex Israel surrecturo, verùm cujus præcisè Regis, de eò dissentiunt. Sunt, qui illam accipi volunt de regno Regis cujusdam magni Israelitici terrenò, vel Davidis, vel Salomonis. Verùm iterum contra omnem Scripturam, ex quâ nunquam demonstrari poterit, vocem *Sceptrum*, quando כּוֹכַבּ*

& *usque ad regnum* (uti & h.l.) euidam vindicatur, alii quam soli Messiae tribui.
Confer. Gen. 49. v. 16, Ps. 2. v. 9. Ps. 110. v. 2. Esa. 11. v. 4. & c. Unde & nos, donec
 contrarium probatum fuerit, illam de regno Messiae intelligimus, quod sce-
 ptrum, quomodo Messias noster gesserit, seq; Regem verè ostenderit, de eò
 diximus *SECT. I. ad vocem* *שֵׁטֶר* ubi vide. Restat vox *DOMINATOR*, quæ
 quod itidem absolutè (uti & h.c) posita, nullum alium (v. gr. uti velunt *SAL-
 LOMONEM.*) quàm Messiam in Scripturâ denotet, de eò *Confer. Sect. I. ad
 vocem* *רַבִּי*. Quod autem hæc & nō alia, verè fuerit mens Bileami, præter ea,
 quæ jam adducta sunt, probatur (I) ab intentione Balaaci, & huic contraria
 intentione *DEI. ILLA* erat ut per Bileamum Israelitarum & corporibus & a-
 nimabus malediceret, ut adeò ab eò diris devoti, maximo afficerentur infor-
 tuniò; (*hanc enim vim maledictiones Patrum ac Prophetarum, qualem & Bi-
 leamum esse censebat, habere, Ethnicum tunc firmiter credebant, dubio procul ex
 rumore, qui adhuc de efficaci maledictione Noe, Chamo maledicente, Gen. 9.
 v. 25. apud illos supererat. Conf. Cramerus l.c. p. 355.*) *HÆC*, ut pro sua omni-
 sapientia maledictionem hanc, etiam per hoc ipsum organon in benedictio-
 nem, & corporalem & spiritualem converteret, eòq; ipsò populum in deserto
 vagabundum, multisq; periculis partim corporis, ob arma quibus debellare,
 partim animæ, ob diras, quibus devovere illum Balæ conabatur, quæq; popu-
 lus hic extimescebat, eò fortius consolaretur, ne de promissione benedictio-
 nis, in benedictō Messia, desperare inciperet, unde omninò credibile non est,
 ipsum omnis benedictionis fontem ac fundamentum, qui Messias est, *Gen. 12.
 v. 3. Gal. 3. v. 14, 16. Eph. 1. v. 3.* præterisse, & non potius primariò hîc eundem
 respexisse. Probatur (II) ab exactâ horum Bileami verborum cum verbis aliorū
 virorum Dei, qui absq; omni dubio de Christo vaticinati sunt, consensione, ita e-
 nim Jacob de Messia vaticinans *Gen. 49. v. 9. dicit: Non auferetur sceptrum de
 Juda. Bileam* verbis paulò mutatis: *consurget sceptrum de Juda*, adde etiam
Ps. 72. v. 7, 8. Ps. 110. v. 2. Esa. 11. v. 4. & c. quorum omnium sanè unus est sensus i-
 mō ferè eadem quoq; verba, unde dubium esse non potest, spiritum istum unū,
 qui per omnes hos locutus est, unam etiam illis significare voluisse rem. Pro-
 batur (III) præter magnum orthodoxorum Patrum (quos citatos vide in *Bibl.
 Illustr. Calov. p. 545.*) consensum, etiam consensu multorum saniorum Judæorū
 ad h. l. ut v. gr. *ABARBANELIS*, qui ad h. l. ita: *Sed hoc reverà dicitur de Rege
 Messia, quem comparat (Propheta) cum stella cœlesti, quia splendor ejus & glo-
 ria ejus & dignitas regni ejus, & dominatus ejus in mundò (erit) sicut domina-
 tus stelle in inferiora. ABEN ESRA* ad voces: *& surget virga*, dicit: *Multi (scil.
 Judæorum) explicant illud de Messia. R. ABRAHAM SEBA*, ad verba: *& domina-
 bitur ex Jacob: ita: Indicat hoc ipso quod Deus unctus sit, (juxta verba quando
 dicit orietur stella ex Jacob:) Salvatorem magnum potentiâ, cujus nomen est
 Messias filius David. BASCHI* ad verba: *& perdet residuum ne sint civitas*, ita:

De Rege Messia dicit ita, quia de eò dicitur: & dominabitur à mari ad mare. BAAL HATTURIM ad Num. 24. v. 16. & 19. ita: dicit hìc de se Bileam, quod intelligat mentem altissimi, quia voluit revelare tempus Messie, משיח in Masorah dicitur bis occurrere, alter locus est Ps. 72. v. 8. Uterq; & Bileam & David vaticinatus est de Rege Messia. Plura his familia vid. in Bibl. Illustr. Calov. l. c. & apud Galatinũ de Arcanis Catholicae veritatis l. 8. c. 1. & l. 4. c. 21. quibus omninò junge Chaldaicã utramq; tanquã perpetuã & verissimã testem veteris lectionis & intelligentiã vaticiniorum, etiam (quantum ad Jonathanis) ante Christũ natũ. Probatũ deniq; (IV.) ab ipsius Christi optimi N. T. interpretis, (uti omninò videtur) hujus vaticinii repetitione & ad se applicatione Apoc. 22. v. 16. ubi ita: Ego sum radix & genus David, STELLA SPLENDIDA ET MATUTINA. Quæ quam propè verbis Bileami accedant, quilibet facillè videt. Hæc cum ita sint, mirum est, quod non pudeat nonnullos, etiam ex illis, qui tamen præ omnibus verorum Christianorum nomen & religionem se iterum adeptos esse gloriantur, jugum, in destruenda hujus de Christi vaticinii veritate, cum infidelibus trahere, imò etiam hæc in re, nonnullis ipsorum infidelium, (uti audivimus) adhuc esse peiores. Melius sanè conscientiæ suæ consuluit, proprius aliàs religionis ipsorum socius CONRADUS PELLICANUS (cit. Cramero l. c. p. 360.) ita de hoc ipsò vaticiniò Bileami scribens: Utcunq; hæc prophetia de Davide & Saule exponi possit ad literam, sed admodum imperfectè completa videbitur, sicut & quæ de Salomonis gloria prædicta erant, tenuiter completa fuerunt. Locupletissimè tamen & eò modò, quò beneficia Dei promissa à fidelibus semper capienda sunt, magnificè & sinè diminutione, non aliter exponi possunt, quam de Christo Domino, Rege universorum, qui sacratissimo & incruentò triumpho, subdidit sibi omnes gentes adversarias olim populo Dei, verbo salutis & veritatis.

QVÆST. III. Qui quæso hæc ipsa prophetia de nostro Messia, Jesu Nazareno intelligi queat, cum doceri non possit, ipsum unquam in terra Moab & Edom fuisse, multò minus quod eas vastarit, cum reliquis filiis Seth, atq; possederit, contra autem hæc omnia. 2. Sam. 8. v. 1. 2. usq; 14. de Davide in litera dicta reperiantur, qui hoc ipsum vaticinium sibi directè videtur applicare: Ps. 60. v. 10. Ps. 108. v. 9. quor sum Ergo hæc dicta erunt, quomodo concilianda, & quomodo, quod potiori jure de JESU nostro valeat, probari poterit?

Resp. Idem hoc est, quod explicationi nostræ communiter opponi solet, ad quorum primum nostri Theologi: Cramerus, Calovius, Osiander, aliiq; respondent, quod, quia hæc gentes distinctis istis nominibus tempore Christi amplius non fuerint, non præcisè secundum literam illis esse inhærendum, sed potius vaticinium esse accipiendum eò sensu quem sub verbis allegoricis, moreq; Prophetis usitato, juxta mentem & intentionem Spiritus S. ipse Bileamo insinua-

nae



nuaverit, ita quidem, ut per Moabitas, tanquam hic persecutores Israelis designentur omnes Tyranni & (ipsis similes) Persecutores Ecclesie, vel etiam per ipsos tanquam peregrinorum Deorum cultores omnes eis similes Idololatæ. Per filios Seth, omnes præstantissimi, sapientissimi, sanctissimi (in sua opinione) adeoq; non reverà tales, sed degeneres (frustra sanctitatem & carnalem suam originem à sanctis antiquissimis Patriarchis & Seth crepantes) posterii Seth, quales fuerunt: Judæi, Pharisei & Justitiani omnes. Per Edomitas gentes istas quæ quidem Mesie fuerint possessio, quando per Apostolos solenniter vocati fuissent, sed quia multæ ex ipsis recidivam mature passæ essent, hinc inimicis suis Diabolis in rapinam cesserunt. Vel etiam per illos intelligi posse, omnes, secundum Esavi exemplum, falsos fratres, Pseudapostolos, hæreticos & hypocritas, unà cum instigatore & auctore suo Diabolo ipso, quos omnes pedibus suis subiecisset & adhuc subjecturus esset Christus. Per reliquas civitates: omnem inimicorum Christi & ecclesie ejus colluviem & congregationem, quam reliquam & superstitem esse Christus sit passurus, demumq; illustratione adventus sui ad judicium destructurus. Quæ omnia, quam verè à Jesu nostro partim impleta sint, partim etiam adhuc implebuntur, experientia, Deo sit laus, partim jam tum docuit, partim adhuc, bonò cum Deo, doctura est. Ad secundum respondent, se non negare, typicè hæc quæ ad antenus in Davide esse impleta, eumq; hæc in parte, inq; suis contra hostes Israelis victoriis typum Christi fuisse, interim tamen ex hoc ipso non sequi quod ideò vaticinium juxta literalem sensum de Davide esset intelligendum. Sanè nonnulla in Scriptura quod fieri deberent, dicta sunt, quæ etiam typicè facta, interim juxta literalem sensum omnino aliòrum dicta esse deprehenduntur. v. gr. 2. Sam. 7. v. 12. seqq. coll. cum v. 19. & cum 1. Reg. 8. v. 19. 20. Et ponamus hæc ipse, juxta literalem sensum dicta esse de Davide, quomodo tum sibi conveniet Scriptura? De sceptrò cujus hic fit mentio, dicitur, quod ita percussurum sit Duces Moab, ut penitus extirpentur, adeoq; omnis convalescendi potestas ipsis adimatur (confer. quæ Sect. I. ad vocem ΥM dicta) an hæc præstitit David? quomodo ergo Dominatoris (Regis) Moab potest fieri mentio? Esa. 16. v. 1. Amos. 2. v. 3. quomodo hanc cladem à Davide passam Spiritus S. tam parvi æstimare potest, ut ejus ne quidem mentionem faciat dicendo: Fertilis, (tutus) fuit Moab ab adolescentia suâ, & requievit in fecibus suis, nec transfusus est de vasa in vas, & in transmigrationem non abiit: idcirco permansit gustus ejus in eò, & odor ejus non est immutatus. Jerem. 48. v. 11. Quis quæso de Davide assereret, eum vastasse omnes Filios Seth? (quocumq; etiam modò explicetur atq; sumatur nomen Seth) Sanè ne manipulus quidem fuit hominum, quos ipse vastavit, si cum omnibus quibus competit nomen Filiorum Seth, comparentur. Hæreditas quidem facta, Davidis tempore, Edom, & Seir possessio inimicis suis, sed brevis hæreditas, minus diuturna possessio, vix enim per 140. & paucos excur-

ren.



tentes adhuc annos ea duraverat, ubi iterum in libertatem se vindicabat Edom
 sive Seir 2. Chron. 21. v. 8. postmodumq; multò magis quam quidem antea Israe-
 lem affligebat, uti patet ex Ezech. 25. v. 12. Amos. 1. v. 11. Obad. v. 10. seqq. imò eti-
 am ipsam eorum terram iterum possidebat. Ezech. 35. v. 15. Adeò planè Israel
 tunc non fortiter agebat! Porro, si David jam suò tempore perdidit reliquias
 civitatis inimicorum suorum, modò memoratorum, quomodo adhuc multò
 post, superstitibus ipsis, demum finalis atq; totalis eorum perditio annunciari
 potuit? confer. Jer. 48. v. 15, 18, 21. seqq. Adeò planè hoc vaticinium in Davide
 non est impletum, adeoq; nec juxta literalem sensum de eò prædictum esse
 potest. Multò autem plenius, imò plenissimè impletum est in nostro Messia,
 etiam, (ut hoc demus Adversariis, si tamen omninò aliquid dandum est) quan-
 tum ad corporalem tum suorum, tum Israelis sui inimicorum, perditionem,
 vastationem ac possessionem. Ipse enim est, qui & Moab & Edom, postquam
 salutaribus ministrorum suorum monitis converti noluerunt, missis exerciti-
 bus suis perdidit, adeò ut hodiè nusquam amplius reperiantur. Matth. 22. v. 7.
 Ipse est, qui Filios Seth, superbos Judæos, hoc nomen præ aliis sibi tribuentes
 vastavit, eorum civitatem succendit, domumq; ipsorum, ipsis desertam reliquit
 Matth. 23. v. 38. Imò ipse est, qui & reliquias omnium ipsorum perdet illustra-
 tione adventûs sui. 2. Thess. 1. v. 9. Regnum quippe ejus æternum est, quod com-
 minuturum & consumpturum erat, imò ipsò facto jam comminuit atq; con-
 sumpsit universa ista à Daniele prædicta regna magna, (nusquam enim hodiè am-
 plius cernitur Assyriorum, nusquam Persarum, qualis scilicet tum erat, ac Medorum,
 nusquam Græcorum, nusquam item Ethnica Romanorum Monarchie, sed omnes
 ab hòc æterno regno comminute atq; consumptæ sunt,) ipsum autem adhuc per
 Dei gratiam stat, imò etiam stabit, & in æternum non dissipabitur. Dan. 2. v. 44.
 DICIS: quid hoc de Messia vaticinium ad Balaakum, qui sanè illud nò curabat?
 & quid illud ad Nabuchodonosorem Dan. 2. v. 44. Omninò aliquid ad utrosq;!
 Semina enim hòc ipsò in amborum regnis Deus spargere volebat salutaris co-
 gnitionis futuri Messie, quò, si ea postmodum suffocarent (id quod futurum
 probè notum erat Deo) non haberent, quod ad suæ ignorantie excusationem
 prætenderent. Deinde quoq; Balaakum monere debebat, quod impossibile es-
 set huic populo maledicere, quippe qui benedictus erat in Benedictio, qui benedictus a-
 liis maledicentibus, ipsi vicissim benedicebat. Ps. 109. v. 28. imò etiam omnibus genti-
 bus benedicere vellet, quæcunq; saltem earum, ejus benedictionem gratà mente essent
 accepturæ, id quod nostrum antea infelicissimorum Ethnicorum, quorum ex merà
 gratia & misericordiâ Pater omnis misericordie miserus est, exemplum satis ostendit.
 Utinam saltem immensam istam nobis exhibitam gratiam agnosceremus, cumq; grati-
 arum actione semper acciperemus. Quod ut fiat adjuvet nos ipse Deus, benedictus,
 & pro hac denuò concessa gratiâ, ex hòc nunc, & usq; in secula Amen!

SOLI DEO GLORIA!



Umg VI 16

ULB Halle 3
002 061 678




6317

sb

Z







כוכב מ'עקב
i. e.
STELLA

EX JACOB.

QVAM
DISSERTATIONE PHILOLOGICA

EX NUMERORUM XXIV. v. 15, 16, 17, 18, & 19.

Prælucente Stellâ splendidâ & matutinâ

JESU CHRISTO

PRO LOCO

In Amplissima Facultate Philosophica

Wittebergensi perbenevole sibi concessa
ostendit placidoq; Eruditorum Examine sistit

PRÆSES

M. DANIEL VENTZCKIUS,

Falcoburgô Neo-Marchicus, Alumn. Elect. Saxon.

RESPONDENTE

JOHANNES SIGISM. FÖRSTELIO.

Wilschdorffensi Misnicô.

Ad diem 1. Martii Anni M. DC. XCIV.

IN AUDITORIO MAJORI. Horis antemeridianis consuetis.

WITTENBERGÆ, prælo JO. WILCKII, Acad. Typogr.